

**De indole hallucinationum in mania religiosa : dissertatio inauguralis
psychiatrica ... / Rudolphus Leubuscher.**

Contributors

Leubuscher, Rud. 1821-1861.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. F. Sittenfeld Jun, 1844.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/tb7uw6dr>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

6

DE
INDOLE HALLUCINATIONUM
IN MANIA RELIGIOSA.

DISSERTATIO
AUGURALIS PSYCHIATRICA

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILIELMA

UT SUMMI
MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXII. M. MARTII MDCCCXLIV.

H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
RUDOLPHUS LEUBUSCHER
VRATISLAVIENSIS.

Cap

OPPONENTIBUS:

IOS. SAMOSTZ, MED. DR. MED. PRACT.
UD. FRIEDLÄNDER, REFERENDAR. REG.
LAX. WOCKE, MED. ET CHIR. DR.

C
BEROLINI
TYPIS F. SITTENFELD JUN.



V I R O

ELEBERRIMO, DOCTISSIMO, HUMANISSIMO

C. G. IDELER

**DICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI MED.
BLICO-EXTRAORDINARIO IN UNIVERSITATE LITERARIA
IDERICA GUILIELMA, MODERATORI CLINICES PSYCHIA-
ICAE, DIRECTORI SECTIONIS MENTE AEGROTANTIUM
NOSOCOMIO CARITATIS BEROLINENSI, COMPLURIUM
SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI, ETC. ETC.**

**PRAECEPTORI AC FAUTORI SUMMOPERE
COLENDO**

H A S C E

S T U D I O R U M P R I M I T I A S

D. D. D.

AUCTOR

PROOEMIUM.

Argumentum, quod explicandum mihi proposui, jam
r se sat copiosum, ob eam praecipue causam difficile
hi visum, quod ad multas cogitationes animum allicit,
ae, quamvis ad argumentum illud omnino quadrent,
nen vere ad thema ipsum non pertinent. Jam per
adolescenti praesertim difficile, cogitationes animum-
e lubenter semper usque ad extremos rerum fines
gantem certis septum tenere finibus. Quod vitium
in hocce commentariolo vitarem, summam dedi ope-
a, quare jam metuo, ne errorem contrarium commi-
im, res graves, quas copiosius exponerem necesse
rit, levius tractans. Postremo vero a lectoribus be-
volis peto, ut de indole visionum, de ratione, qua
lucinationes in mania religiosa oriantur, neque de
lucinationibus in universum neque de mania religiosa
ba facere me voluisse, considerent. Ceterum casus
tos ipse in nosocomio caritatis observavi, quod benevo-
tia Cel. Ideler, praeceptoris dilectissimi, mihi con-
t.

Der Wahnsinn, wenn er epidemisch
wird, bekommt den Namen der
Vernunft. Fr. Jacobi.

CAP. I.

DE MANIA RELIGIOSA. *)

Laniacus quispiam eroticus, ambitiosus, quamvis suam opinionem insanam summo complectens ardore, vere quoque indubium illum imaginatione procreatum intueri optatumque pisci valde cupiat, tamen rebus externis minus prospiciens, tantum omnia adrogat, et quum raro ejus exemplum alios homines ad maniam concitet, cum ejus morte opiniones insane simul sunt extinctae. Mania vero religiosa manans serpsitque per gentes, animis populorum venenum instillans, causa facta est scelerum immanium, quibus historia abundat. Religio hominis summum bonum; quae si integra et pura conservatur, ad flagitia non impellit; ii igitur homines, qui religiosi se esse praedicantes, tamen facinora commiserunt horrida, plurimum alienatione mentis correpti fuerunt. Jam me non fugit, quam sit difficile, certam constituere maniae religiosae definitionem, quum id, quod a nobis insanum rejicitur, populus divinum et maxime expetendum adoraretur. Quum cum Deo colloquium habuisse se gloriatur, qui inde spi-

*) A medicis Francogallicis nomen monomaniae magis laudatur, quod re vera probabilius est; quum vero nomen maniae magis in Germania sit, ego quoque hanc vocem non mutavi.

ritu divino afflatus novum profert evangelium: eum medicos sanare studet, antea idem sanctus est habitus, multique discipuli eum secuti. Quo politiores populi facti, quo magis ratio superstitionem ex animis expulit, eo magis formae maniae religiosae terribilis evanuerunt. Non tantum rationis populus inerat, ut imagines, sententias a fanaticis singulis furore vino correptis excogitatas, fictas et commentitias distinguere. Vi imitandi *), quae plurimum pollet ad animos excitandos inducti, homines ipsi decepti alios deceperunt.

Mania religiosa ex omnibus morbis mentis maxime pervestigandum allicit, quod morbos mentis ex moribus, conditionibus temporis, quae potissimum ad populos dirigendos valuerunt, pendere demonstrat. Non singuli sunt homines, mania religiosa laborantes, sed sunt conditiones temporis communes, quae apud singulos homines viva phantasia, infortio et cet. ad maniam praedispositos maniam gignant religiosas. Quod ex argumentatione de visionibus postea instituenda clarius apparebit, mania a religiosis meditationibus ipsis decedenda, si animus dulci cuidam in rebus sacris nimis indulget furori, et imaginatione obcoectus ad spiritualismum evehitur. Opinionibus religiosis temporis conditionibus mutatis, mania quoque religiosa aliam prae se tulit speciem. Omnia autem quae ad hanc rem pertineant, explicare et ad vivum resecare non possum, quum totam historiam ecclesiasticam perlustrare necesse esset; sed summi mihi videtur esse momenti demonstrare, qua ratione mania religiosa ex Paganitate, Judaismo et religione Christiana sese conformaverit.

Mania religiosa neque antehac, neque nunc semper sine ulla existit complicatione. Apud foeminas, ubi mania religio-

*) Cf. Hecker, Die Tanzwuth, eine Volkskrankheit des Mittelalters, praecipue p. 63 — 80.

Oslander, Entwicklungskrankheiten in den Blüthejahren des weiblichen Geschlechts. T. I. p. 10.

propter magnam imaginationis vim saepe oritur, cum erotomania et nymphomania complicatur, et ab his morbis nonnunquam proficiscitur. Inter virgines monasticas maniae religiosae cum erotomania complicatae, nisi, quod quidem saepe factum est, voluptati libidinibusque incestis re vera indulserunt, periculum semper imminuit. Hi morbi nunquam omnino in monasteriis non inveniebantur. Ad valde singularia phantasmata haec maniae species aegrotas commovit. Ita, ut ex multis exemplis unum eligam, Marie Alacoque († 1690) in corde Christi se habitare dixit, totas noctes „en colloques amoureux avec son bien aimé Jesus“ degit, suum cor cum corde Christi commutavit, ex quo tempore dolorem flagrantem in loco cordis sentiebat, ita ut inde cogeretur, venaesectiones nonaginta iussu Christi instituere, etc. *)

Scelera horrenda e mania religiosa nascuntur, si ambitio, si cupiditas dominandi cum furore religioso sese conjungit, fanaticismus homines bestiis crudeliores humanitateque omnino destitutos reddit. **) Multi ambitionem, quae sola eos ad fa-

*) Gregoire, Histoire des sectes religieuses. Paris 1814. Tom. I., p. 341. (Cordicoles). Cf. porro Osiander loc. cit.

**) Exemplum horrendum ex nostro tempore desumptum prostat in „Schwärmerische Gräuelfcenen oder Krenzigungsgeschichten einer religiösen Schwärmerci in Wildenspuh Kantons Zürich, von Joh. Rudw. Meyer. Zweite Aufl. 1824. Aliud offert Kiefewetter, Erfahrungseelenlehre, p. 362. Quum aliquando magister pagi cujusdam negaret, etiam nunc in animis tantam inesse pietatem, ut Dei jussui, etiamsi, ut ab Abrahame, immolationem filiorum exposceret, parerent, pastor, qui valde pium sese duxit, ita incitatus est, ut pietatem suam facinore eximio confirmare consilium caperet. Idcirco suos tres filios convocavit et furore immani commotus securi duos filios cecidit. Tertius puer amatissimus flens genua patris crudelis amplectens, clementiam implorat. Nunc amenti illi sensus quasi redeunt, humanitatis extinctae sensus revocatur. Sed mox, quum diabolum actionem illam sanctam ar-

cinora impellebat, dissimulantes, religionem tantum praetendebant, ut sancti habiti, melius impuneque libidinibus sese dant possent. (Johann a Leyden, Bockelt, Knipperdolling etc.) Multi suam personam gloria mactare voluerunt; religio gloriae aviditati optime satisfacit. Ita e. gr. Johannes a Rosenfeldt venator quidam a. 1763 Berolini proclamavit, se esse Messiam regem Borussiae diabolum; septem virgines puras in matrimonium duxit, ut ita septem sigilla, quibus coelum clausum, posset aperire. Per viginti annos sectatores habuit. *) Alium 1624 regnum mille annorum condidit, sed eodem anno jam combustus est. Aperte hi homines mente capti erant. **) Alii species maniae religiosae est Daemonomania, ubi homo dolores aut infortunium quoddam, quod perpessus est, a voluntate daemonis, i. e. potentiae cujusdam vim inimicam et perniciosam in vitam hominum exercentis deducit. Notum est, quae ratione terribili haec opinio, quae in captivitate Babylonica ab Judaeis accepta et inde in religionem Christianam translata est, per totum medium aevum efficax fuerit. ***) Morbus quisque, tempestas, calamitas subito imminens secundum populi opinionem a daemone profecta est. Etiam nunc, quum adhuc sat magna vulgi copia superstitione imbuta sit, haec maniae religiosae species frequenter occurrens, tanta vehementia animum corripit, ut effigiem diaboli homines saepe accurare

cere voluisse putaret, furore fanatico revertente etiam tertium necavit filium. Amens est judicatus. V. v. Wessenberg, über Schwärzerei. Heilbronn, 1835. p. 161.

*) Berlinische Monatsschrift 1783. Januar.

**) L'usage était partout de faire brûler par le feu des gens, qu'il eût suffi d'envoyer aux petites maisons. Tom. I. p. 287. Gregoire, Histoire des sectes etc.

***) Vid. Forst, Dämonomachie. Frankfurt am Main. 1818. Wierus de praestigiis daemonum, incantationibus et veneficiis. Basil. 1583.

ssime adumbrare possint. (Vid. Ideler, Grundriss der Seeneheilkunde, T. II. p. 481, cas. memorab.) Diabolus in core aegrotorum habitat, dolores vehementissimos efficiens, illos homines inde fascinans etc. etc. (Cas. mem. ap. Esquirol, übersetzt von Dr. Bernhard, T. I. p. 288.) Commemoranda etiam illa forma, ubi homines in bestias sese mutatos uerunt, Lycanthropia et Cynanthropia, quae primum in Aradia nata, tum ad alias gentes transgressa medio aevo multos homines irretiuit. (vid. Horst, Tom. II. S. 217. Von den zauberischen Thierverwandlungen.) Nec multum ab hac specie abest melancholia religiosa, quae tristissimum praebet aspectum. Homines, qui jam antea in summis angustiis versati, consolationem ex religione haurire voluerunt, studio librorum sacrorum etiam profundius in dolores immerguntur, ita ut animum omnino abjicientes, de hominibus, de se et de Dei misericordia funditus desperent. Scelera nunquam commissa excogitant, verbum quodque pronuntiatum crimen judicant horrendum. Nonnunquam nascitur melancholia religiosa certamine opinionum inter se dissidentium, ita ut animus anxietate dubitationis depressus diuturna, non amplius sui sit compos. Ita e. g. vidi hominem, qui ipse fidei catholicae addictus, uxorem evangelicam in matrimonium duxerat; aliis dubitationem et metum, ne hoc sit crimen, in eo moventibus, vir ille denique in melancholiam religiosam incidit. Ita mania religiosa saepe ab aliis animi perturbationibus ducit originem; frequenter etiam sine ulla complicatione observatur. Homines tum commercium cum aliis fugientes, a rebus gerendis sese abstinunt, ut animus rebus externis non perturbatus, consideratione tacita ad fastigium beatitudinis ascendere possit. Apud Indos, Chaldaeos et monachos, quorum numerus ingens primis saeculis p. Chr. n. in solitudinem sese recipiebat, haec ratio Dei venerandi inprimis exulta est. Sunt monachi apud Indos, qui per multas horas unum locum fixis oculis intuentur, ubi denique, quod quidem ex legibus opticis patet, lux alba, i. e.

secundum eorum opinionem Deus apparet. Torpentes hi homines res externas, frigus, tempestatem, immo ignem non senserunt.*) (Simeon stylites etc.)

Jam in omnibus maniae religiosae formis et speciebus visiones et hallucinationes oriuntur, quae tam arcte cum mania religiosa ipsa cohaerent, ut totus morbus in his tantum saepe versari videatur. Quid valeant, qua ratione nascentur, nunc indagemus. De natura et forma maniae religiosae adjiceremus quaedam fuit necesse, quum unum symptoma morbi cujusdam nisi ex toto morbo perspicui et recte dijudicari non possit.

CAP. II.

QUID VALEANT HALLUCINATIONES.

Hallucinationes omnium sensuum morbis mentis symptomata commune et gravissimum quidem, quum, quamvis ex morbo ipso saepe nascentes, etiam ad morbum augendum plurimum valeant et eo, quod novam morbi causam constituent, morbi sanationem arceant perfectam. Quamdiu enim sensus recte et naturae convenienter percipiunt, aegroti in se ipso remedium quasi inest opiniones vanas et perversas propellendi, quum modus rectus constitutus sit, ex quo omnes cogitationes metiatur et ponderet. Omnes fere cogitationes nostrae perpetuo sensibus confirmantur, ad eorum normam sese dirigunt; evanescent vero et inanes, vacuae nuncupantur, si a sensibus abhorrent. Quodsi vis sensuum judicii debilitata, immo sensus perturbati et alienati sunt, animus confusus tamdiu haesitat, donec falsa intuitionem inductus, novam inde rationem cogitandi

*) Cf. Zimmermann, Ueber die Einsamkeit, T. II. p. 134. v. Wessenberg, Ueber Schwärmerei, p. 225 et sequ. Confer porro: Heinroth, Geschichte des Mysticismus. v. Böhlen, Das alte Indien mit besonderer Rücksicht auf Egypten. Königsberg, 1830. T. I.

bi produciens, in maniam incidit. Re vera mania interdum a oritur, ut iudicium omnino integrum a sensibus aegris sensum corrumpatur. Plerumque vero hallucinationes ad morbum jam accedentes, novam confirmationem eamque tam certam ad opiniones jam excogitatas afferunt, ut aegrotus nunc se vituperationem aliorum refutare sibi videatur.

Hanc vim hallucinationes in omnibus mentis morbis exercent. Medicis omnibus est probatum, eos aegrotos, qui hallucinationibus cruciuntur, multo difficiliore esse ad sanandum, quam alios. Nec alia res est in mania religiosa. Verum tamen hoc singulare est in mania religiosa, quod nullus esse casus observatur, ubi non hallucinationes ortae sint, quod et hac hallucinationes totius morbi naturam constituunt. Tum hallucinationes in mania religiosa speciem, ut ita dicam, lucidam prae se ferunt; in aliis morbis, si hallucinationes adsunt, formae aegroto apparentes quasi diffluunt, ita ut certis finibus circumscribi nequeant. In mania vero religiosa tam clarae formae sese offerunt, ut manibus complecti eas aegroti possent, ut certam corporis formae imaginem delineare possent. Swedenborg per longum tempus commercium arctissimum cum angelis habuit, eorum domicilia visitavit etc. A. 1743 idem Swedenborg *) visionem habuit, ubi Deus, cujus formam accuratissime describit, apparuit, magna voce clamans: „ne edas tantum.“ Zimmermann **) de mirabilibus phantasmatibus narrat, quae monachos, quibus primis p. Chr. n. saeculis loca deserta in Asia scatebant, perpetuo circumdederint. Hieronymus refert, se a Deo ad iudicium arcessitum interrogatum esse: Quis es? Christianus sum, respondit. „Mentiris, nam Ciceronem, paganum admiratus es. Hieronymus conscientia facinoris percussus, obmutuit et nunc ob culpam immanem

*) Responsum ad epistolam ab amico ad me scriptam. Londini, 1769.

**) Ueber Einsamkeit. T. II.

virgis caedebatur etc. In omnibus fere casibus hallucinationum in mania religiosa effigies summa expressa est perspicuitate.

Praecipue in mania religiosa sensus videndi (unde nomen visionum) et sensus audiendi hallucinationibus laborant. Animadvertisse mihi videor et ex illis casibus, quos hucusque observare mihi ipsi contigit, et ex casibus enarratis, eos homines, apud quos mania ex studio religionis ipsius enata, frequentius visionibus, interdum etiam hallucinationibus auditus cruciatus fuisse; in complicatione vero cum daemonomania, erotomania, nymphomania dolores vel alias sensationes saepius occurrere. Insigne et memoratu dignum hoc esse videtur, in mania religiosa, morbo potissimum ex animi ipsius perversa inclinatione nato, sensus nobilissimos ad animum cogitantem proxime accedentes inprimis affici. Ab auctore quopiam hancce quidem opinionem confirmatam non inveni.

In omnibus stadiis maniae religiosae hallucinationes accidunt; saepissime vero in stadio, quod appellant stad. irritationis, quum in hoc vis imaginandi maxime concitata sit. Postea rarius apparent. Aegrotos querentes audivi, se postea indignos factos esse, quibus Deus sese revelaret, postquam initio morbi visionibus a Deo ipso emanantibus gavisi sunt.

Jam antea in universum de difficili hallucinationum sanatione dixi, quod inprimis spectat ad maniam religiosam. Hallucinationes sensuum confirmationem afferentes, animo, quum Dei ipsius emanationes habeantur, tantam injiciunt superbiam, ut homo, qui Dei favorem et gratiam ita expertus est, res omnes terrestres nunc prorsus contemnat. Medicus, qui argumentis eum convincere studet, homo tantum, qui ex vinculis corporis nondum solutus, quem Deus nondum dignum aestimavit, quocum communicationem iniret. Idcirco animo obstinato et acerbo admonitiones omnes, quas, si sequerentur, a superiore illo dignitatis gradu ad inferiorem descendere deberent, rejiciunt, contemnunt et sensuum testimonio freti, novo

egno, ubi ipsi splendore cincti, evangelium novum pronuntiabunt, desiderio summo praestolantur.

CAP. III

QUA RATIONE HALLUCINATIONES ORIANTUR*).

Jam operae pretium esse videtur sciscitari, unde visiones et hallucinationes in mania religiosa nascantur. Ad quam rem explicandam necesse me etiam breviter ad casus similes, ad causam, qua hallucinationes in universum deducendae sint, respicere. Nascunturne ex sensibus perturbatis, an ex animo? Utrumque accidit. —

Nervus opticus, nervus acusticus, si afficitur et quacunque ratione irritatur, reactionem eo demonstrat, quod lucem sentit, sonum percipit. Eo, quod afflictionem animo, cui semper ultima est causa **) omnium sensualium per-

*) Confer Esquirol, *Geisteskrankheiten*, übersetzt von Dr. Bernhardt. Ueber Hallucinationen p. 95—119.

Johannes Müller, über phantastische Gesichtserscheinungen, physiologische Abhandlung, Koblenz 1825. Ejusd. *Handb. der Physiologie*. Lib. V. Von den Sinnen. Nothwendige Vorbegriffe. Dann, commentatio de paracusi seu de hallucinationibus auditus. Berol. 1830. Quum visiones frequentissimae sensuum deceptiones in mania religiosa sint, atque exempla a sensu visus desumpta manifestissima, non argumentatione visiones saepius qua alias tangam hallucinationes, quarum ceteroquin explicatio prorsus eadem.

**) Cicero, certe omnino conditionum physiologicarum ignarus, verba profert ingeniosa: „Nos ne nunc quidem oculis cernimus, quae videmus; neque est enim ullus sensus in corpore, sed (ut non physici solum docent, verum etiam medici, qui ista aperta et patefacta viderunt) viae quasi quaedam sunt ad oculos, ad aures, ad nares a sede animi perforatae. Itaque saepe aut cogitatione, ut aliqua vi morbi impediti, apertis atque integris et oculis et

ceptionem nervus tradit, sensus visus et auditus oritur. Nervus affectus phantasiae et facultati cogitanti irritamentum est ad imagines producendas. Haec affectio nervorum seu a rebus externis, seu a causis internis proficisci potest. Res externae perpetuo hanc irritationem exercent. Causae internae sunt e. g. congestiones versus cerebrum, encephalitis, meningitis, narcotica, compressio nervorum etc. Causis hisce internis intuitiones nascentes jam hallucinationes appellamus, quoniam causam earum originis plerumque nescimus.

Hallucinationes sunt symptoma cerebrale. Tunica nervea oculi ad eas producendas non necessaria. Baczko narrat, Dulongem auleten, qui primis vitae diebus sensum visus amiserit, interdum somno formas terribiles et distortas conspexisse. (Rudolphi, Physiologie T. 2. p. 283.) Esquirol in homine maniaco amaurotico visiones observavit; femina, apud quam in sectione nervos opticos usque ad chiasma atrophicos invenit, perpetuo visionibus vexabatur. Lincke (de fungo medullari Lips. 1840.) vidit in stadio inflammationis post bulbi extirpationem phantasmata lucentia apparere. Quae exempla, quamvis singula, ob eam tamen causam gravia, quoniam demonstrant, causam ultimam hallucinationum in cerebro collocatam esse. Irritamenta vero sensuum rebus externis non adsunt; coecus ille auletes omnino sanus, nulla congestione, inflammatione interna laborans: itaque aliam explicationem petamus necesse.

auribus nec videmus, nec audimus; ut facile intelligi possit, animum et videre et audire, non eas partes, quae quasi fenestrae sint animi, quibus tamen sentire nihil queat mens, nisi id agat et adsit. Quid, quod eadem mente res dissimillimas comprehendimus, ut colorem, saporem, calorem, odorem, sonum? Quae nunquam quinque nuntiis animus cognosceret, nisi ad eum omnia referrentur, et is omnium iudex solus esset. Cicero, Tusculan. disputat. Lib. I. Cap. XX.

Ut sensus affecti irritamenta phantasiae ad imagines procedas, ita etiam contrarium accidit; phantasia affecta sensus ad imagines cogit. Phantasia suam vitam degere, suas res quasi innatas sequi potest, aut regitur a voluntate, a libidine. In omnibus his casibus hallucinationes nascuntur.

Vita illa propria phantasiae multis probatur exemplis. Bonnet (Analytische Versuche über die Seelenkräfte. Bremen 1780. 2. T. p. 59) hominem novit, qui vigilans sine externa irritatione varias figuras virorum, foeminarum, avium vidit; aedificia aedificabantur, ornabantur, denique oculis evanuerunt. Vir ille omnino sanus imagines hasce fictas bene veris distinxit. Müller (loc. cit.) narrat, virum, de cujus bona fide non dubitandum sit, quum ex societate quadam primo jejunus reverteret domum, in prato, per quod profectus est, haud procul se ipsum pluries tegumentis, quibus discessit vitae temporibus usus erat, vestitum distincte conspexisse. Huc et referendus est casus ille memorabilis et satis curiosus Nicolaji bibliopolae*), atque illa phantasmata, quibus Müller ipse fruitus est, quorum singula vestigia sine dubio in eoque homine accidere solent. Omnibus in hisce exemplis phantasia a sensibus non pendens agit ex legibus suae naturae propriis, sensus tantum instrumentum, quo phantasia suasceptiones et intuitiones internas in medium proferat et manifestat.

Maxima est vis animi in his hominibus, ubi phantasia lunati inservit. Exstant vero singuli, rari quidem casus, in quibus ratio omnino integra et non perturbata, clara luce, ex veritate propria figurae exoptatae distincte adumbratae appaerunt. Ita e. g. Cardanus vigilans re vera omnia conspexerat quae conspiciere optavit; imagines ante oculos quasi surrexerunt et rursus evanuerunt**). Alius, quum in monasterii

*) Reil, Fieberlehre T. IV. p. 285.

**) Haller, Elementa physiologiae T. V. p. 537.

cujusdam ruinis ambularet, vehementer cupiens virginem videri monasticam, subito foeminam nigro indutam vestimento accedentem vidit *). Goethe narrat, se, si florem quendam se animo finxerit, statim eum ob oculos versantem habuisse. (Quod flos, quod ex vita propria phantasiae deducendum est, non eandem formam retinuit, sed perpetuo sese et organica quiddam ratione commutavit.

Similes casus cuique homini, apud quem phantasia non omnino exstincta est, accidunt. Qui fervide concupiscit, rem desideratam saepe jam amplecti se credit. Qui e. g. advenientem quendam exspectat, jam longe, antequam ille re vera aggreditur, strepitum passuum accedentium, luceque obscuram ubi vis imaginationis major est, etiam formam advenientis se madvertere putat. Hos casus ut explicemus, ad mutationes morbosas sensuum confugiamus necesse non est; sunt psychica symptomata ex excitata phantasia enascentia. Verumtamen inter exempla Cardani, Goethii etc. et illa id intercedit, quod in vita communi, etiamsi ex voluntate hallucinationes ejusmodi exoriri videntur, animus tamen fere semper commotus metu, spe etc. perturbatus est, quoniam phantasia saepe tamen serva libidinis cujusdam. Libidines enim tanta cum vehementia animum corripunt, ut omnium rerum externarum liviscens, nihil aliud nisi rem optatam adipisci studeat, ratione quae hanc agendi methodum non probandam esse monet, prelitur, atque evertitur. Ratione silente, phantasia non amplius ligata suscitatur, libere ad alienas provincias vagatur, pro teque imaginibus splendidis animi alienati spem inconsideratam confirmat.

Forsitan quispiam dicat, me multum ultra rem mihi propositam processisse, res quidem similes, sed ad commentationem de hallucinationibus in mania religiosa non apprime pertinentem tractantem. Oportebat me vero, usque ad hunc locum

*) Reil, Fieberlehre T. IV. p. 283.

plicationis progredi, quod nunc quaestio, qua ratione hallucinationes in mania religiosa explicandae sint, per se patet. Antea nondum attuli, hallucinationes ex sensuum morbis nates, raro tantum certam prae se ferre speciem; apparentibus specie fulminum seu aliarum formarum diffluentium; surri non distincti audiuntur etc.; jam signum phantasiae entis, si formae, lineae clarius adumbratae exhibentur. aperte apparitio daemonum, quae per tota saecula animos hominum innumerabilium terruit, non epidemius morbus sensuum est, neque apparitio coeli aperti et angelorum, neque vox, quae disertis verbis dominationem aeternam proclamat, ex sensibus potest deduci. Quid est vero? Spero fore ut demonstrare mihi contingat, ex ipso animo nimis commoto et perturbato seu ecstasi seu metu, ex fervore divino, ex flagrante desiderio haec phantasmata gigni. Qua ratione igniculi, comina harum animi perturbationum et inde hallucinationum in mania religiosa e meditationibus religiosis evadente sita sunt, nunc investigemus.

Non nego, etiam sensuum morbum hallucinationem efficere posse, quae fortuito ad maniam religiosam adducat; sed erunt casus singuli. Si praeterea hallucinationes ratione minime integra a sensibus solis proficiscuntur, non verae habentur; quod si tamen fit, jam argumentum, mentem esse enatam. —

CAP. IV. *)

Is, qui rationis solius adminiculis religionem complecti solet, perpetuo inter varia consilia et dubitationes fluctuat.

*) Cf. S de ler, Biographien Geistesfranker in ihrer psychologischen Entwicklung dargestellt. Berlin 1841. p. 176.

Deum esse ratiocinatione sola, argumentis a ratione sola excitatis, huc usque nondum demonstratum. Omnes demonstrationes hujus generis verisimiles esse possunt, sed nisi veritas quaedam interna ex animi cujusque sensu orta accedit, certitudine carent. Fides est ratione non fundata, quae religionis argumenta a judicio prolata confirmat. Quod si concessum, deductio hallucinationum et visionum ex ipsa religione non amplius difficilis. Fides enim religiosa cuique sua propria subjectiva, permittit unicuique systema religiosum proprium sibi struere; quod si perversum rationique non consentaneum, difficile est ad diruendum, quum res externae ad religionem non spectent, nec in his ullum remedium insit, falsas opiniones religiosas emendandi. Contemplatio quaeque et explicatio, ad quam religio nos adducit, responsum quodque ad quaestiones nostras, quod religio praebet, in provincias nos rapiunt; quae sensibus percipi non possunt, quas imaginatio tantum assequitur, in provincias sublimes, splendoras, quae splendorem mentem sanam saepe obcoecant et a via recta ingredienda detrahunt. Quum vota illa sublimia a religionis proficiscentia, quo propius animus excitatus ad eventum accedere arbitretur, eo minus procedant, immo magis recedant flagrantius semper fit desiderium. Fervor vero ardens animus prohibet, quominus omnino sui conscius res distincte perspiciat, facit ut difficultate desideria adipiscendi non perturbatur etiam ferventius in illas contemplationes sensibus non subjectas irruat, ut denique quasi illecebris contemplationum irritus aufugere nequeat. Sed natura omnes homines ita instituti sunt, ut e corporis vinculis omnino evolare non possint, etiamsi acies ingenii acerrima, cogitationes tamen nostras perpetuo res externae moderari debent; ab his materiem, argumentum animus depromit, ex quo et secundum quod cogitationes constituat. Itaque is quoque, qui meditationibus religiosis in illas provincias, quae sub sensus non cadunt, abreptus est, cogitur imagines sibi fingere, hasque imagines mere pueri

alicas formis terrestribus ad intuitionem sibi transferre, ne
 cogitationes in vacuum sese dissolvant et penitus evanescant.
 ac ratione hallucinationes in mania religiosa sine compli-
 tione nascuntur. Si animi quidam affectus alienus (Leiden-
 schaft) praeterea adest, tum hallucinationes certam prae se fe-
 rent speciem, quod postea perquiram. Imaginatione magis
 grante, major etiam proclivitas ad hallucinationes. — Ex
 studio hominum illas intuitiones non corporeas sensuum judi-
 cio admovendi, multae caerimoniae deducendae, quae nihil aliud
 significant, nisi cupiditatem symbolo quodam hominem Deo
 applicandi: ex quo studio orta simulacra, quibus perficiendis
 summae omnia temporum summam navarunt operam. Ita
 Lessing*): Wenn man glaubte, die Religion auch durch sinn-
 liche Darstellungen befördern zu können, so geschah dies nicht darum,
 weil sie selbst etwas Anschauliches ist, sondern weil es unserer Natur
 entspricht, durch Hülfe der Sinne die Vorstellungen unsers Gemüths
 zu verstärken.“ Summum jam acumen ingenii necessarium, ut
 opiniones suas religiosas formis omnino destitutas con-
 vertet; quo qui non fruitur, certe imaginem, cum qua opinio-
 nem connectit, animo suo infiget. Infantes saepenumero
 orbem sub specie senis orbem terrarum manibus tenentem sibi
 praebent. Primum is, qui loco πνεύματος cujusdam imaginem
 constituit corpoream bene scit, hanc esse fictam; quam vero
 diutius intuetur, postremo credet, eam vere existere. Ita
 Platon**): „Wer oft und lang über einer Lieblingsidee brütet,
 wird sie mit der Zeit für ebenso wahr, als der Erzähler seine Lüge,
 wenn er sie oft wiederholt hat. Hängt man dem Gedanken
 an, daß Gott sich durch Träume offenbare, so wird das Träumen
 zu einer solchen Fertigkeit, daß der Schwärmer auch mit off-
 nen Augen träumt, ohne seine Erscheinungen für das zu halten,

*) Ueber Schwärmerei, p. 279.

**) Lebensbeschreibung von Gesner. 1802. II. 61. V. Wessen-
 berg, p. 118.

was sie sind — für Träume. — Hallucinationes et visiones nil mirabile continent, si ex ipsa mania religiosa, ex libidinosa effrenata Dei consideratione prodeuntes ducimus. Furor diivinus (religiöse Schwärmerei) in desiderio summo versatur, cum Deo commercium ineundi; anima aestuans Dei revelationem acriter exspectat; quid igitur mirum, si ex hoc desiderio vehementer mente forma certa re vera quasi prosilit, quum insuper natura religionis ipsius animus ad species mirificas, ad portenta jam praeparatus sit. — Quam vera sit haec explicatio, etiam ex historia operum a poetis et pictoribus perfectorum integrimus. Notum est, Raphaëlem, jam per longum tempus consilium, qua ratione Madonna optime delineanda sit, animo vehementer, nocte subito e somno excitatum in conclavi virginum cum splendore coelesti ornatam conspexisse.*) (Leonardo Vinci, Tasso etc.) Longum est, alia afferre exempla. Hallucinationes et visiones apud hos viros eadem ratione explicandae sunt; sed id interest, quod eorum mens integra, quum mens sana ab imaginatione effrenata non perturbata, sed imaginatio a ratione custodita et coercita est, quod iis certum consilium propositum est, maniacy vero temere et inconsideratum infinitum capessunt.

Apud Graecos religio minus ad hallucinationes adducta. Species certa Deorum colendorum erat constituta; Diis namque multum ab hominibus abhorrentibus, sed propius ad homines ipsos accedentibus, animis ad hos pervestigandos abdita, condita et mystica ratione incitamentum non injiciebatur. Mystica tamen fugit me, oracula et mysteria, quae in Graecia celebrabantur, etiam a veneratione mystica numinis cujusdam ignota sanctas praesagitiones et divinationes in animis movente, perfecta esse; sed populus certe hac, ut ita dicam, sensuali generatione Deorum, qui ex ipso hominum coetu prodeuntes,

*) Wackenroder, Herzensergießungen eines Kunstliebenden an seinen Bruder.

celsa facinora ad Olympum ascendebant, ab illo furore di-
no, qui saepe gignit hallucinationes, prohibitus est. Quae
ro religio sensibus minus praebet, cui sese affigant, animum
cile ad divinationes obscuras allicit. Ita apud Neoplatoni-
s, apud Indos, qui immediate divinum intueri nitebantur, vi-
siones saepe apparuerunt. Sic quoque Wessenberg *): „Die
Idee der Mystiker ist unter den Reformirten bedeutend größer, als
unter Katholiken. Von allen sinnlichen Anschauungen sich abwen-
dend, hat die Phantasie mit um so größerer Begierde die innern
Anschauungen ergriffen, in welchen das Gemüth des Mystikers des
öttlichen theilhaftig zu werden glaubt. — Neque transeundum
e loco est silentio, jejunium, flagellationes et cruciatus cu-
jusvis generis plurimum ad phantasiam fervefaciendam pol-
le. Animus quasi a vinculis corporis solvitur, si functiones
corporis vi minore evadunt. De vi autem solitudinis in ima-
gines provocandas confer Zimmermann, qui ingeniosissime et
copiose hanc rem tractavit.

Ut igitur nunc brevi complectar, hallucinationes et visio-
nes in mania religiosa oriuntur ex turbulenta animi exagita-
tione et desiderio, ex fontibus abditis istis, ad quos religio
a animum adduxit, scientiam et revelationem divinam hau-
ndi.

Spectemus jam diversa genera, complicationes maniae re-
ligiosae, num apud has quoque visiones et hallucinationes ex
a morbi natura prodeuntes sese praestent. Ut jam in ca-
e primo concessi, perturbatio animi, complicatio maniae re-
ligiosae saepe morbus est fundamentalis; quae primum spe-
m tantum maniae religiosae prae se ferens, denique tam
ete cum hoc morbo copulatur, ut novum fere morbum con-
tuat. Hallucinationum et visionum etiam in complicatione
dem est explicatio.

Multos constat homines famae ejusmodi cupidos esse, ut

*) Ueber Schwärmerei, p. 279.

ob hanc solam causam et flagitia horrenda et facinora ranculosa et valde singularia committant. Osiander*) casus fert multos, ubi puellae, apud quas hoc studium saepe observatur, sola cupidine nomen suum celebrandi inductae, dolorum vehementissimos perpessae sint. Nec minus constat, monachorum magnum numerum in solitudinem sese recepisse, non quod animo consideratione tacita ab hominum altercatione abstracto Deus ardentius coleretur, sed quo ambitioni soli, quum illa ratione, etiamsi ignobili loco nati, nomen insigne facile adipiscerentur, inservirent. Idcirco mira et singulari ratione vitam degerunt, portenta fecerunt et quacunque ratione conspicuum sese reddere nisi sunt. Verum illud Goethianum: Nichts bringt uns dem Wahnsinn näher, als wenn wir uns vor Anderen auszeichnen, wenn wir den Sonderling zu spielen uns bemühen und Nichts erhält so sehr den gemeinen Verstand, als im allgemeinen Sinne mit vielen Menschen zu leben**). Tales homines vanitas et ambiciosa cupiditate sese glorificandi, rationem omnino suppressantes, imaginationem ad tantum gradum incendere possunt, ut inde imagines, quae confirmationem sensualem afferant, provocentur. Hallucinationes in hac specie morbi propriam induunt formam. Imagines gloriam excelsam pronuntiant, voces audiuntur, quae hominem Messiam, Deum ipsum spiritum sanctum, verbum aeternum, archangelum etc. *** praedicant. Vidi hominem in nosocomio Caritatis affirmantem, se a Deo propter magnam vim fidei vocatum esse ad certamen aeternum inter Christum et diabolum dijudicandum, Christum contra diabolum adorientem defendendum. Frequenter hallucinationes hujus generis accidunt hominibus infirmis

*) Vid. *Entwickelungsfrankheiten*.

**) *Wilhelm Meisters Lehrjahre*.

***) e. g. 1614 Ezechiel Meden in Thuringia sese verbum aeternum aut archangelum appellavit. Multos sectatores habuit. (Gougeon, *histoire des sectes religieuses*. Tom. I. p. 286.)

loco natis, quibus, quum studium insit flagrans, altiorem gradum dignitatis assequendi, sed non satis scientiae, conditiones vitae diversas recte discernendi imaginatio unicum fere remedium huic nisui satisfaciendi. Ad religionem vero praecipue hoc studium transferunt, quum in ea, a nemine perturbati, novum orbem terrarum sibi condere possint.

Facile etiam in mania religiosa cum melancholia complicata, seu ex ea proficiscente, hallucinationes explicantur. Homines in rebus adversis versantes et ita depressi, ut omnem fere spem abjiciant, ad religionem se convertunt, ut inde solatium depromant animumque erigant. Ob eam causam ferventes religionem complectentes, revelationes, imagines quasi compensationes infortunii, quod toleraverunt, considerant. Animus spe, solatio eget; itaque res, conditiones sibi quaerunt, quae solatium afferant; quae quidem quum vere non inveniantur, ab imaginatione excogitantur. Eo pertinacius infelix his imaginibus, quae sortem pollicentur meliorem, nititur, quo pejores antea vitae conditiones. Apud eos, qui etiam de religione desperant, origo imaginum a perpetuo metu deducenda est. Quid mirandum, si homines, qui scelera horrenda nunquam commissa sibi fingunt, perpetuo angore cruciati, supplicium nunc subire se putent, si imaginatio ad summum gradum excitata rationem sanam perturbet imaginesque producat. Summi momenti in hac specie morbi ad imagines procreandas est vis superstitionis, quae totum orbem terrarum daemonibus confertum constituit. Cui jam persuasum est, diabolum vere existere et perpetuo vim in hominum vitam exercere inimicam, is animo metu perturbato, facile diabolum apparentem videbit. Qui omnino eundem existere infitiatur, nunquam eum adspiciet. Quanta sit vis superstitionis, apud Lutherum optime intelligimus. Longum foret, quum mihi tantum de visionibus in mania religiosa disputare proposuerim, plura de daemonomania afferre. Si daemones, mortui manticis incantationibus provocati, vere e tartaro procedere visi sunt,

et metus et voluntatis vis in phantasiam spectanda est (vidi cap. III.).

Etiam in erotomania et nymphomania cum mania religiosa visiones et hallucinationes eodem modo explanantur *). Jam amans quisque infelicitate, quum hominem amatum complecti nequeat, impellitur, imagines quidem sibi formare, quibuscum commercium vere refutatum ineat. Imaginatio vero fervens saepe obliviscitur omnino, se a rebus sensualibus abhorrere, nullum adesse concentum rerum externarum cum imaginibus fictis; imagines, quas omnibus ornamentis decorat, splendore cingit, personam quasi induunt divinam et sancta coluntur veneratione. Hac commutatione rerum humanarum cum rebus divinis valde singularis species morbi oritur (vide Osiander, *Entwickelungsfrankheiten*). Multae monachae perpetuo cum sensu amoris et voluptatis cuique homini insito et interdicto magis incenso dimicaverunt; in religiosis meditationibus amori sedare licuit; fervor amoris et voluptatis ad religionem translatus est. Ita Zimmermann**): Die mystischen Nonnen hatten zärtliche und gefühlvolle Herzen; aus Mangel eines Liebeshandels auf Erden geriethen sie in einen Liebeshandel mit dem Himmel. Dies machte sie zaumlos, vermehrte ihre Innbrunst und so folgte Irrreden der Andacht. Pariter monachi perpetuo fere incestisimis imaginibus cruciabantur; quo magis tormentis exquisitis sen-

*) Si homines voluptate triti sunt, facultates rationales animi supprimuntur et phantasia principatum tenet. Ex sensu infirmitatis et peccati commissi saepe oritur inclinatio ad religionem, nec raro apud homines tam debiles et enervatos hallucinationes existere possunt.

Anna Leese, quae congregationem shekers or shaking-quakers constituit, meretrix fuerat. Gregoire, *hist. des sect. rel.* Tom. I. p. 172. Cf. insuper Parent-Duchatelet. *De la prostitution à Paris.*

**) Ueber die Einsamkeit, Cap. VII. et sequ.

sum voluptatis radicitus extirpare conarentur, eo vehementius et suavius stimulus voluptatisque titillatio eos pelliciebat; acervae puellarum eos circumdabant, ad voluptatem explendam invitantes. (Hieronymus, Pachomius.) Verum tamen monachi illi bene has incestas imagines et religionem distinguebant; apud foeminas magis illum mysticum Christi amorem invenimus. (Cf. Ideler, Seelenheilkunde. T. II. p. 490.)

Ad explicandas visiones ejusmodi, quae nonnunquam certe toto coelo a cogitationibus virorum sanctorum, re vera Deum colentium abhorruerunt, discrimen et disharmoniam animo nostro innatam magni arbitror esse momenti; illam dico inclinationem animi, quae homines interdum cogit invitos res discrepantes connectere, quae cogitationibus sublimibus, sanctis ideas contrarias, incestas, turpes immiscet. Aegroti saepe queruntur, se coactos esse convicia exclamare; conditiones similes quisque attento animo in se ipso observare potest.

Ego has diversas animi perturbationes et libidines divellere et sejunctim tractare conatus sum; sed bene scio, hoc vere non semper fieri: una quidem perturbatio saepe alteram suscitatur, in alteram quasi redundat. Explicatio tamen semper eadem, non pendens ex theoria arguta et spinosa morbi cujusdam corporei. Quam graves fiant visiones, si verae habentur, enarratio rerum docet. Spectandum est, eas nil mirabile continere, quippe ex religione ipsa prodeunt; vita animi propria innumerabiles conditiones similes nobis ostendit. Neque metuo, ne, quum ex vita artificum, ex vita cujusque hominis casus similes petierim, multum a mea sententia viri docti abhorreant. Verbis autem a Joanne Müller prolatis concludere mihi liceat *): „Was bei dem Unbefangenen das Eigenleben der Sinnlichkeit, das Spiel einer dichtenden Phantasie, was allen Menschen im Traume nicht mehr wunderbar erscheint, wird in der Geschichte verflucht und verehrt nach der Natur seiner Objekte. Das

*) Phantastische Gesichtserscheinungen, p. 69. §. 124.

Gespensst und die Dämonen aller Zeiten, die göttliche Vision des
Asceten, die Geistererscheinung des Magikers, das Traumobject um
die Phantasiebilder der Irren und Fiebernden sind ein und dieselbe
Erscheinung. Nur der Gegenstand ist verschieden nach der Richtung
einer excentrischen Phantasie; eine göttliche Vision dem religiösen
Schwärmer, dem Furchtsamen ein furchtbares Phantasma, dem träum-
menden Egmont die Erscheinung der Freiheit, dem Künstler ein
himmlisches Idol, nach dem er längst gerungen. Der Zeitgeist leiht
diesem plastischen Einbilden andre Objecte."

VITA.

Natus sum Rudolphus Leubuscher Vratislaviae die XII. Dec. anni h. s. XXI. patre Augusto, matre Amalia gente Schück, quos ut Deus per diu mihi servet quotidie precor. Judaeus sum. Primis literarum elementis omni imbutus novem annos natus gymnasium adii Fridericianum regium et tum Magdalenaicum, ubi ab egregiis praeceptoribus Direct. Schoenborn, Pror. Dr. Klossmann, Prof. de Glocker, Koecher, Dr. Lilie, quorum maxime de me meritorum memoriam nunquam deponam, in literis eruditus sum. Maturitatis testimonio ornatus, mense Aprili anni h. s. XL. almam universitatem literarum Vratislaviensem adii et ab Ill. Hahn, senes quem tunc fasces erant, inter cives academicos receptus, apud Ill. Henschel t. t. decanum ordinis medici nomen dedi. Ibi per tria semestria hisce interfui scholis: Ill. Braniss de logica et psychologia, Ill. Pohl de physica universa, Ill. Nees ab Esenbeck de botanice

generali ac speciali, Ill. Goeppert de plantis officinalibus, idem vir ill. dux mihi erat in botanicis excursionibus, Ill. Fischer de chemia generali et pharmaceutica, Ill. Gravenhorst de zoologia, Ill. de Glocker de mineralogia, Ill. Henschel de encyclopaedia medica et de pathologia, Ill. Purkinje de physiologia experimentis illustrata, Ill. Benedict de instrumentis chirurgicis et fasciis rite applicandis, Ill. Barkow de osteologia et anatomia comparata, Ill. Otto de anatome corporis humani universa, de historia foetus, Ill. Hoffmann a Fallersleben de literatura medii aevi. In theatro anatomico Ill. Otto dux mihi erat.

Anno h. s. XLI. ineunte Sept. Berolinum me contuli et in hac literarum universitate ab Ill. Dieterici t. t. rectore magnifico civibus academicis adscriptus, apud Ill. Jüngken t. t. decanum medicorum ordinis maxime spectabilem nomen dedi. Per quinque semestria hisce interfui scholis: Ill. Ehrenberg de infusoriis, Cel. Mitscherlich de materia medica, Exper. Isensee de auscultatione et de morbis cutis, Exp. Troschel de chirurgia, Cel. Ideler de morbis mentis, de anthropologia ac de diaetetice, Cel. Kluge et Froriep de aciurgia, Exp. Dann de therapia generali, Ill. Müller de anatomia pathologica, Ill. de Schelling de introductione in philosophiam revelationis, Exp. Mundt de philosophia literaturae.

In clinicis duces mihi fuerunt Ill. Jüngken, Busch, Dieffenbach, Wagner, Cel. Wolff, Romberg, Trüstedt, Kluge, Ideler.

Quibus omnibus viris illustrissimis, celeberrimis,
experientissimis optime de me meritis gratias ago sem-
perque habebo, quas possum maximas.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico
nec non examine rigoroso rite absolutis spero fore, ut,
dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina
et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

- 1) Hallucinationes in maniacis plerumque non a sensualium organorum morbis proficiscuntur.
- 2) Deformitas foetus singulari, quem mater perpessa est, adspectui respondens non est.
- 3) Non certum discrimen inter miasma et contagium.
- 4) Mania furibunda venaesectionem contraindicat.
- 5) Est mania sine delirio.
- 6) Febris nihil aliud, nisi affectio systematis nervosi.
- 7) Crepitatio non signum pathognomonicum pneumoniae.
- 8) Quamdiu mutationes in corpore humano morte effectae nondum satis notae sint, anatomiae pathologicae provincia satis circumscripta.



NARROW GUTTERS

(1-2 CHARACTERS

LOST ON

SEVERAL PAGES)